

arma procul, paulum adspectu conterritus haesit  
 continuitque gradum; mox sese ad litora praiceps  
 cum fletu precibusque tulit: 'per sidera testor,  
 per superos atque hoc caeli spirabile numen, 600  
 tollite me, Teucris; quascumque abducite terras:  
 hoc sat erit. scio me Danais e classibus unum  
 et bello Iliacos fateor petiisse penates.

pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,  
 spargite me in fluctus vastoque inmergite ponto. 605  
 si pereo, hominum manibus periisse iuvabit.'

dixerat, et genua amplexus genibusque volutans  
 haerebat; qui sit fari, quo sanguine cretus,  
 hortamur, quae deinde agitet fortuna fateri.  
 ipse pater dextram Anchises haud multa moratus 610  
 dat iuveni atque animum praesenti pignore firmat.  
 ille haec deposita tandem formidine fatur:  
 'sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,  
 nomine Achaemenides, Troiam genitore Adamasto  
 paupere — mansissetque utinam fortuna — profec-  
 tus. 615

hic me, dum trepidi crudelia limina linquont,  
 inmemores socii vasto Cyclopi in antro  
 deseruere. domus sanie dapibusque cruentis,  
 intus opaca ingens. ipse arduus altaque pulsat  
 sidera — di talem terris avertite pestem! — 620  
 nec visu facilis nec dictu affabilis ulli.

visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.  
 vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro  
 prensa manu magna medio resupinus in antro  
 frangeret ad saxum sanieque adspersa natarent 625  
 limina, vidi atro cum membra fluentia tabo  
 manderet et trepidi tremarent sub dentibus artus.  
 haud inpune quidem; nec talia passus Ulixes  
 oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.

nam simul expletus dapibus vinoque sepultus 630  
 cervicem inflexam posuit iacuitque per antrum  
 inmensus saniem eructans et frustra cruento